



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. VIII. Sitne Deus inuisibilis naturaliter cuius creaturæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

iecto reperitur illa ratio obiectiua, quæ confusè sumpta, dicitur esse adæquata ratio obiecti intellectus nostri. In hoc ergo sensu negatur antecedens argumenti, quia DEVS absolute clauditur sub obiecto intellectus, cuius signum est, quia naturaliter potest aliquo modo cognosci. Ad primam vero probationem respondetur, inter finitam potentiam, & infinitum obiectum non esse proportionem in latitudine perfectionis, ita ut vna sit commensurabilis alteri. Potest tamen esse proportio aliqua in ratione obiecti, & potentia, quatenus intellectiua potentia, quauis finita, est vniuersalissima, & capacissima (propter immortalitatem) totius latitudinis entis. Ad præterea, ex illa improportione ad summum colligi, non posse intellectum eleuari ad comprehendendam infinitatem DEI, secus vero ad videndam, quia ad hoc sufficit, quod finite videat, per lumen, & actum, spiritualia, & altioris ordinis, ut infra dicemus. Vnde ad secundam probationem negatur sequela, quia fieri potest, ut intra latitudinem obiecti alicuius potentia, sit aliquod ita excellens, ut ad illud non possit potentia attingere naturalibus viribus, vel saltem non clare, & perfecte, sicut nos visus corporeus non potest clare intueri solem.

bat vitam æternam à regno caelorum, ut ibidem ait Augustin. & non declarauit, quid per vitam æternam intelligeret, & quomodo illam à regno DEI distingueret, ideo certò dicere non possumus, quid de visione Dei clara senserit.

Secundo solet hic referri sententia Durand. in 4. distinct. 49. quæst. 2. numer. 24. vbi ait, intellectum de se aptum esse ad videndum Deum clare, & remotis impedimentis: & sine vlla supernaturali virtute superaddita videre illum, per hoc solum, quod DEVS sit illi præsens. Verum tamen quia expresse dicit, illud non fieri secundum naturæ ordinem, sed gratiæ, & nunquam dicit, DEVM fieri præsentem per actum naturalem: ideo illa sententia non pertinet ad hunc locum, sed infra tractanda est disputando de necessitate luminis gloriæ, & de modo quo nos intellectus ad illam visionem concurret. Solet etiam hic referri sententia Scoti 2. distinct. 3. quæstion. 9. vbi docet, posse Angelum per virtutem naturalem quidditatiuè cognoscere essentiam DEI, prout in se est per speciem sibi inditam representantem DEVM abstractiue sicuti est, quam speciem dicit esse naturalem Angelo. Quam opinionem sequitur Gabriel ibi quæstion. 2. differt tamen in modo loquendi, negat enim, illam cognitionem posse naturaliter haberi, nisi oriatur ab intuitiua, ut latius tractat quæstion. 1. prologi, artic. 2. Tamen quia Scotus fatetur expresse, visionem intuitiuam DEI esse supernaturalem, & illam, de qua loquitur, esse tantum abstractiuam, ideo illa etiam opinio ad hunc locum non spectat, sed tractabitur in fine libro primo de Trinitate. Dis-

Sententia Durand.

Sententia Scoti.

Gabr.

Reijciatur opinio Scoti.

CAPVT VIII.

An DEVS sit inuisibilis per naturales vires cuiuscumque creaturæ, & consequenter non, nisi supernaturaliter videatur.

1. Vm dictum sit, DEVM non esse omnino inuisibilem creaturæ intellectuali, oportet exponere an aliquo saltem modo illi inuisibilis sit, & non tantum incomprehensibilis, & consequenter explicare oportet, quomodo videri possit, vel quomodo non possit. In puncto ergo proposito fuit hæresis Begardorum asserentium, quamlibet naturam intellectualem per se ipsam posse fieri beatam, & neque indigere lumine gloriæ ad videndum DEVM, qui error refertur, & damnatur in Concilio Vientiensi sub Clemente: & habetur in Clementina Ad nostrum, de hæret. Et ante hos hæreticos fuerunt alij dæti Anomæi, quorum auctor fuit Eunomius, seu Acedius, qui dixerunt posse hominem in hac vita comprehendere DEVM, & aliqui dicunt, fuisse locutos de cognitione per vires naturæ. Sed id nec colligi potest ex Chrysol. in homilijs de incomprehensibili DEI natura, contra illos scripsit, nec ex Theodoro, aut alijs illam errorem referentibus. Imo Hieronymus Matthæi 11. in id, Nemo nouit filium nisi Pater, indicat Eunomium fuisse locutum de cognitione per reuelationem.

Enthaligum.

Concil. Vient.

Chrysol. Theod.

Hieron.

Enthaligum.

Fundamentum huius erroris non refertur à dictis Auctoribus: videtur autem esse potuisse, quia si intellectus creatus non posset videre DEVM per suas naturales vires, nullo modo posset ad illum actum eleuari, quia potentia præferim vitalis non potest eleuari ultra suam spheram. Sed hoc fundamentum partim solutum est in capit. præcedenti, partim tractandum est in ijs, quæ dicemus de principijs visionis beatæ. Aduerto hic etiam, quod licet non inueniatur hic error inter errores Pelagij numeratus, tamen si consequenter locutus est, non potuit non in eo versari, cum dixerit, omnia media ad hunc finem consequendum viribus naturæ perfici posse, & vitam æternam, quæ non est aliud, quam illo visio DEI, sine gratia DEI posse comparari. Vnde, ut Augustinus refert 1. de Peccator. merit. & remissione, capit. 30. paruulis non baptizatis promittebat vitam æternam, vtique tanquam sibi naturaliter possibili, vel etiam debitam. Tamen quia ille distinguit Suarez: De Deo trinuno.

Tertio referri hic potest opinio dicens, illam visionem esse quidem supernaturalem quoad consecutionem, seu effectiorem, tamen esse naturalem in ratione beatitudinis, quia est finis naturalis hominis, ad quem naturæ pondere fertur. Quæ duo mihi videntur repugnantia, sed de hoc disputandum est in prima, secundæ. Nunc ego suppono, non dari in nobis appetitum innatum ad visionem claram DEI, ideoque non posse hoc titulo dici naturalem. Denique posset aliquis opinari, illam visionem esse supernaturalem quoad modum, non tamen quoad substantiam suam: quia cum sit actus elicitus à naturali potentia, necessario esse debet in substantia naturalis, sicut sunt alij actus supernaturales, per quos illa visio comparatur. Huius opinionis auctorem non inuenio, tamen qui negat actum charitatis esse supernaturalem quoad substantiam, possent consequenter hoc modo opinari.

4. Tertia sententia.

Dicendum primo. Illam visionem esse supernaturalem cuiuslibet intellectui creato. Ita censo esse certum de fide. Probatur ex sacris literis ad Roman. 6. Rom. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Vbi nomine, vita æterna, significatur Beatitudo, quæ in visione DEI præcipue consistit, vt constat ex vsu, & communi sensu omnium. De hac autem vita æterna statim subdit, Stipendium peccati mors, gratia autem DEI vita æterna. Vbi omnes interpretes notant diuersitatem locutionis, nam licet homo suis operi-

E

Handwritten notes in red ink on the right margin, including 'D.V.' and other illegible characters.

operibus mereatur, & poenam, & primum, tamen Paulus poenam vocat *Stipendium*, quia ex toto rigore iustitiae debetur, vitam autem aeternam, quae est premium meritorum, vocat *Gratiam*, quia est supernaturale donum, quod quamuis debeat meritis illud est ratione gratiae: vt late Augustinus Epistol. 107. ad Sixtum: & libro de Gratia, & libero arbitrio. cap. 8. & in Enchirid. capitul. 107. Chrysostomus in Homil. 12. ad Roman. & omnes expositores. Et huic consonat illud Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, quia nimirum sunt dona supernaturalia, & eiusdem ordinis. Imo praecipuum fundamentum necessitatis gratiae per se loquendo est supernaturalitas illius visionis. Quia enim illa supernaturalis est, ideo necessaria est gratia, & opera illius ad illam obtinendam. Et ideo haec visio specialiter promittitur in Scriptura sacra tanquam proprium premium supernaturalium operum, vt Ioannis decimo quarto. *Qui diligit me, manifestabo ei meipsum*, vt ibi Augustinus tracta. 86. Denique facit illud Matthaei vndecimo. *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Nam licet hic locus possit exponi de cognitione fidei, quam habemus in hac vita, tamen & CHRISTVS Dominus absolute loquitur de cognitione Patris, & Filij, & praeterea inde sumitur argumentum apertum: nam si fides DEI est supernaturalis actus, multo magis visio De illa etiam recte intelligitur illud Isa. 64. & 1. ad Corint. 2. *Oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quae praeparauit DEVS diligentibus se*, vt notat ibi Hieronymus, & alij, & Ambrosius in 2. praeparat ad Missam.

6. Quae testimonia videntur sufficienter de hominibus probare, de Angelis vero non videntur expressa. Nihilominus omnes Theologi ita illa intelligunt, & ideo cum eadem certitudine affirmant conclusionem positam respectu omnis intellectus creati. Et Augustinus duodecimo de Ciuitate capitul. 9. aperte docet. *Quae in Scriptura sacra dicitur de charitate gratia, & gloria, quod sunt supernaturalia dona DEI, non minus de Angelis vera esse, quam de hominibus*. Praeterea verba illa: *Gratia DEI, vita aeterna, & gratiam, & gloriam dabit Dominus*: absoluta sunt, & non tantum dicuntur respectu hominum. Vnde idem Augustinus libro vndecimo de Ciuitate. c. 9. *lumen (inquit) verum, quod illuminat omnem hominem uentem in hunc mundum, illuminat etiam omnem Angelum, vt si lux non in se ipso, sed in DEO: & libro decimo, capitul. 2. dicit, etiam quosdam antiquos philosophos intellexisse, Angelos fieri beatos participatione diuini luminis, & supra capitul. 7. diximus ex sententia quorundam Patrum, DEVM interdum vocari inuisibilem in Scriptura sacra, quia per vires naturae creatae videri non potest. Sic docet Diuus Augustinus in dicta Epistol. 112. capit. 9. & hoc sensu dicunt Patres, DEVM esse inuisibilem naturam, visibilem voluntate, & dignitate sua, iuxta illud: *Nemo nouit Filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Matthaei 11. vt notat Damascenus libro 1. capit. 1. Epiphanius haeres. 70. & Ambrosius libro 1. in Lucam cap. de Apparitione Angelicis. *Cuius natura (inquit) est non videri, voluntatis videri*. Sic denique dicitur 1. ad Timoth. 6. *Qui lucem habitat inaccessibilem*. Vtique per naturales vires creatas, sicut statim subditur. *Quem nemo hominum videt, sed nec videre potest*, per naturam, non enim excluditur, quin per gratiam possit, vt ibi Diuus Thomas notauit. Ratio huius veritatis est, quia in creatura non est principium sufficiens ad illam visionem propter eminentiam DEI. Verum tamen explicatio huius rationis ex dicendis cap. sequenti pendet.*

7. Dico secundo, Visio illa beatifica supernaturalis est quoad substantiam suam omni naturae intellectuali creatae. Suppono autem primo, visionem illam creatam esse, quia per visionem increatam nullus intellectus creatus potest formaliter videre, vt

de intellectu etiam animae Christi ostendi. tom. 2. part. disput. 23. & in 12. quaestione. 3. generatim ostenditur de formali beatitudine. Suppono etiam, sermonem esse de naturis iam creatis, nam de possibilitate dicemus capitul. sequenti. Assertionem ergo positam attigit in proprijs terminis Caietanus 22. quaestione 171. articul. 2. explicans solutionem ad 3. Diui Thomae, quae difficilis est, eius tamen difficultas contra hanc conclusionem non procedit: Nam ibi docet cognoscere occulta diuiniae sapientiae esse actum supernaturalem quoad substantiam, ergo a fortiori id doceret de visione beatifica, qua manifestatur id, quod est in DEO occultissimum, scilicet substantia eius, & voluntas. Vnde Sotus in 4. distinctione. 49. quaestione. 2. articul. 4. Ita sentit de visione beata, quamuis de actibus Theologicis via contrarium sentiat. Atque idem sumitur ex Diuo Thomae 12. quaestione. 5. articul. 5. ad tertium, vbi dicit, hanc operationem differre specie ab omni operatione imperfecta, quam homo suis viribus facere potest.

Vt autem ratione hoc probemus, oportet prius supponere, quid sit, actum esse naturalem, vel supernaturalem quoad substantiam. Nam si quis contendat, omnem actum, qui in genere scientiae, vel intellectus conuenit cum actibus naturalibus, hoc ipso appellari naturalem, quoad substantiam intellectus, vel etiam dici sic naturalem ex eo solum, quod potest quacumque ratione elici ab intellectu, & in eo recipi, siue intellectus sit sufficiens virtus naturalis, siue non ad illum faciendum, qui hoc modo vltus fuerit hac voce, reuocabit totam rem ad quaestionem de modo loquendi, & impropijsimè loquetur, quia nullas habet rationem suam ex generica tantum ratione, sed ex specifica, & propria: ergo substantia actus non est pensanda ex genere intellectus, quod abstractare potest, a naturali, & supernaturali specie, sed ex ratione specifica, nam differentia specifica contrahit genus, & trahit illud ad suum ordinem. Sicut habitus per se infusus est simpliciter naturalis, quamuis conueniat in genere habitus cum naturalibus. Atque eadem ratione non satis est, vt actus dicatur naturalis quoad substantiam, quod recipiatur in potentia, quae secundum suam entitatem est naturalis, quia potest recipi secundum capacitatem obiectiualem, vt gratia, & alij habitus per se infusi. Ac denique propter eandem causam non est satis, quod fiat ab ipsa sententia. Tum quia hinc solum sumi potest ratio communis intellectus. Tum maximè, quia fieri potest, vt potentia non concurrat vi naturali, sed vt eleuata, & vt instrumentum diuiniae potentiae, vt infra videbimus. Ergo ille actus dicitur a nobis supernaturalis in substantia, cuius entitas talis est secundum suam specificationem, & specialem rationem, vt fieri non possit per naturalem potentiam creaturam, cum generali concursu DEI sibi debito. Quod sumitur ex Caiet. 1. par. qu. 12. artic. 5. circa solutionem ad 3. sentit enim, illam formam esse in sua entitate supernaturalem, quae nulli substantiae debetur ex principijs naturae, neque habet modum efficiendi connaturalem alicui substantiae creatae. Vnde cum actus vitalis necessario manare debeat a potentia vitali, ille est supernaturalis quoad substantiam, qui ex naturali virtute creatae substantiae, vel facultatis eius oriri non potest. Vnde etiam consequens erit, vt excellentiori modo, illam efficiat: quam eius naturae debeat.

Hoc ergo supposito, facile probatur, visionem beatificam esse supernaturalem in substantia, quia entitas illius actus talis est, vt a nullo intellectu creato operante per vires suae naturae fieri possit, quia si posset fieri, per illam entitatem videret quis Deum naturaliter. Item si entitas non est in se supernaturalis, vnde habet, quod sit supernaturalis. Dicitur, habere ex modo supernaturali habito. Sed

August.

Chryso.

Psalm. 83.

Rom. 14.  
August.  
Matth. 11.

Isa. 64.  
1. Cor. 2.

August.

Matth. 11.  
Damasce.  
Epiphani.  
Ambros.  
1. Tim. 6.  
D. Thom.

8. August.

Caiet.

Sotus.

D. Thom.

8. Quid sit actus naturalis, vel supernaturalis, quoad substantiam.

9.

contra, ergo posset intellectus elicere talem entitatem sine illo modo, ergo per illam videret DEVM naturaliter, quia ille actus esset intellectio, ergo vel esset eiusdem speciei cum visione DEI, & sic constitueret videntem, vel esset alterius speciei, & sic non esset eadem entitas secundum substantiam. Denique interrogo, quis sit ille modus, qui additur illi entitati, vt faciat videre DEVM, qui nullo modo explicari potest, nisi sit differentia specifica actus, & hanc differentiam dicimus dare actui substantiam eius.

10. Posset autem aliquis dicere, vnum, & idem in substantia, & entitate esse lumen fidei, & gloriae, quod tamen differt in modo claritatis, vel obscuritatis, qui modi sunt accidentales illi entitati. Atque pari modo eundem actum secundum substantiam, qui in via est obscurus, & fidei, posse transire in visionem, per adiectionem claritatis, quae sit accidentalis modus illius actus. Quod si huic dicendi modo quis addat, actum fidei in via esse naturalem quoad substantiam, intelligi poterit hoc modo, entitatem visionis esse naturalem, & non constitui in esse visionis per specificam differentiam, & essentialium, sed per accidentalem modum superadditum.

11. Hae verò dicendi ratio in primis supponit vnum fallum, scilicet actum fidei esse naturalem in substantia, imò inde potest retorqueri argumentum, quia iuxta sanam doctrinam actus Theologicarum virtutum, qui sunt via ad illam visionem consequendam, sunt supernaturales quoad substantiam, alias explicari non potest, quomodo sit gratia necessaria simpliciter ad singulos actus tales, ergo multo magis visio. Deinde absurdissimum est dicere, fidem, & visionem esse accidentales modos actus intelligendi, quia nulla maior diuersitas inter actus intellectus inueniri potest, cum vnus nitatur auctoritate dicentis, alius euentia ipsius rei, vnus repraesentet DEVM, sicuti est, & sit quid ditatua; & intuitiua cognitio illius, alius vero minime, sed solum obscura quaedam credulitas ex obedientia, & affectione voluntatis. Ac praeterea si ille essent differentiae accidentales, oporteret vnam speciem substantialem actus illis subesse, haec autem est inexplicabilis, vel lacus in materia de gratia tractandum est. Dicendum ergo est, actum illum videndi DEVM ex vi suae differentiae specificae, & essentialis, esse visionem DEI, ergo sicuti non potest creatura per vires naturae videre DEVM, ita neque efficere illum actum secundum speciem essentiali eius, ergo secundum illam esse supernaturalem, & hoc esse supernaturale quoad substantiam. Neque contra hoc occurrit difficultas alicuius momenti, quomodo enim actus sic supernaturalis possit elici ab intellectu, dicam infra.

CAPVT IX.

*Vtrum visio DEI sit supernaturalis omnimodum intellectui, seu naturae intellectuali creabili.*

1. Hae quaestio necessaria est ad reddendam solidam rationem veritatis stabilitae Capitulo praecedenti: & ideo hoc loco illam ponimus, licet alias tractari soleat de lumine gloriae sub hoc titulo, an possit esse connaturale alicui creaturae, & eadem tractari potest de gratia, & charitate, & de omnibus virtutibus per se infusis. Satis verò conuenienter tractatur de actibus, nam propter illos sunt habitus, eisque proportionantur, & reuera omnis illa quaestio pendet ex visione beata, nam in genere finis est quasi prima radix totius ordinis gratiae, omniumque supernaturalium donorum. Ratio ergo dubitandi est, Suarez: De Deo trinuno.

quia illa visio est limitata perfectionis, ergo nihil repugnat, vt possit creatura fieri, cui talis visio sit connaturalis, seu quae habeat virtutem sufficientem ad efficiendam illam. Atque idem argumentum fieri potest de lumine gloriae, illud enim finitum est, & vt dicemus, est connaturale principium huius visionis, quid ergo repugnat, quod fiat alicui intellectus tanta perfectionis, quantum est ipsum lumen gloriae, & quod fiat aliqua spiritalis substantia, cui sit connaturalis talis intellectus; ergo illi creaturae poterit esse naturalis visio DEI.

Dicendum nihilominus est; visionem beatam esse simpliciter, & absolute supernaturalem respectu omnis intellectus creabilis. Haec est sententia Diui Thomae 1. part. quaestio. 12. articulo. tertio. Quem fere omnes Theologi sequuntur. Et sumitur ex Diuo Augustino libro duodecimo de Ciuitate. capitulo. 1. ubi agens de creatura intellectuali dicit, posse fieri beatam visionem DEI, non quia creatura est, multae enim creaturae non sunt illius beatitudinis capaces, sed quia rationalis est. Quia vero creatura (inquit) est, hoc non ex se potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est. Ergo secundum Augustinum impotentia creaturae, vt suis viribus videat DEVM, ex hoc praeratio oritur, quod creatura est ex nihilo facta. Quae ratio procedit in omni natura creabili. Deinde a posteriori est apud me valde probabile argumentum, quod de facto non est connaturalis illa visio alicui creaturae intellectuali, ergo signum est, hoc esse extra latitudinem earum perfectionum, quae possunt esse connaturales creaturae. Vnde recte Scotus in 2. distinctione. 5. quaestio. 9. dicit, rationabile esse tribuere Angelis omnem naturalem perfectionem intelligendi, nam si creatura aliqua naturalis hoc potest viribus suis, quae ratio reddi potest, cur inter Angelos nullus sit, qui hoc possit? Praecipue quia videntur esse in primo gradu, & ordine substantiarum creaturarum possibilium, sunt enim in gradu intellectuali, in quo est DEVS ipse, & confirmatur, quia vt dixit Diuus Thomas 1. part. quaestio. 50. articulo. 1. ad perfectionem vniuersi pertinet, vt constet omnium rerum gradibus & ordinibus, si autem esset possibile creatura, quae tantam vim haberet intelligendi, vt suis viribus posset intueri DEVM, esset in altiori gradu, & ordine rerum constituta, quam sint creaturae intellectuales, quae nunc sunt, sicut ordo gratiae est alius à toto naturae ordine, ergo pertinuisset ad vniuersi complementum, quod in illo esset talis gradus, vel ordo creaturarum, cum igitur hoc non sit valde probabile, signum est, non esse possibilem, non enim agimus de quacumque maiori nobilitate specifica, sed de nouo gradu, & ordine rerum.

*Ratio à poste-  
riori.*

*Scotus.*

*D. Thom.*

At vero rationem à priori huius veritatis reddere, difficile est, & quoniam Scotus, Durandus & alij in reddenda Diui Thomae rationes impugnant, examinemus rationes à priori, quas ipsi afferunt. Nominales non reddunt priori est difficultas. Sed imprimis hoc sine probatione assumunt. Deinde in rigore falsum est, quia illa visio non à solo DEO fieri potest, sed etiam à lumine gloriae, & suo modo ab intellectu, vt infra dicitur, nec fit per creationem, sed educitur de potentia obedientiali, à qua in fieri pendet. Tandem male inferet, quia non omnis forma, quae à solo DEO per creationem fieri potest, supernaturalis est, vt patet de anima rationali, & de scientia infusa Angelorum, quae licet vere non fiat per creationem, concreari dicitur. Cur ergo haec visio non potest etiam concreari? nec potest hoc esse debitum creaturae alicui possibili, sicut illa scientia est debita Angelo, vel sicut materia sic disposita, est debita creatio, seu infusio animae? Vnde Maior 4. distinctione. 49. quaestio. 4. in fine, videns rationis insufficientiam, dubitat, non solum de

E 2 natura

STARE  
IN  
COM  
DIE  
CONC  
PACO

D.V.